



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Directorivm Inqvisitorvm F. Nicolai Eymerici Ordinis Prædicatorum

Nicolaus <Eymericus>

Venetiis, 1607

Alexander III.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13589**



**A** Et diligentia processuri. Quocirca discretioni vestrę per Apostolica scripta mandamus, quatenus si præfati potestates, & alij ciuitatum, & locorum, in quibus vobis Inquisitionis officium, contra hæreticos est commissum, mandatum super hoc Apostolicum neglexerint adimplere: vos, vel quiuvis vestrum, eos ad id per excommunicationem in personas, & interdictam in terram, remoto appellationis obstaculo compellatis: non obstante si aliquibus ab Apostolica sede sit indultum, vel indulgeri contigerit, quod excommunicari, suspendi, vel interdicti non possint, vel eorum terrę subijci Ecclesiastico interdicto. Dat. Anagninę, Nonis Iulij. Pontificatus nostri Anno duodecimo.

ALEXANDER III.

*Cum domus hæreticorum destrui iubentur, idem intelligitur de turribus eiusdem malefactoris domui contiguas, si quę fuerint: materia vero dirutorum ædificiorum diuiditur iuxta formam Innocentianę constitutionis, incipien. Ad extirpanda. §. Teneatur insuper Potestas.*



**INNOCENTIVS** Episcopus seruus seruorum Dei, dilectis filiis fratribus ordinis Prædicatorum, Inquisitoribus hæreticę prauitatis in prouincia Lombardia, Salutem & Apostolicam benedictionem.

**CVM** in constitutionibus nuper à nobis contra hæreticos promulgatis, inter alia contineri dicatur expressè, vt domus in qua hæreticus vel hæretica inuentus fuerit, ac ei contigua, si fuerint eiusdem domini, sine spe reparationis funditus destruantur, nostro petitis certificati responso, quid sit de turribus in casu huiusmodi obseruandum? Ad quod breuiter respondemus, quod nostra intentionis exitus, & existit, vt in eo casu idem in turribus, & in domibus iudicium obseruetur. Ligna vero, lapides, & tegulas domorum & turrium, quę taliter destruantur, eo modo distribui decernimus, quo res alias ibidem inuentas diuidi mandauimus in constitutionibus antedictis. Datum Anagninę iij. Calen. Augusti, Pontificatus nostri Anno duodecimo.

Edita anno Domini 1255.

Ex Archiuiu Inquisitionis Bononiensis.

ALEXANDER III.

*Vt Inquisitores procedant contra hæreticos, iuxta constitutiones Innocentij, reliquis statutis nihilominus in hæreticos editis in suo robore seruatis.*



**ALEXANDER** Episcopus seruus seruorum Dei, dilecto filio Raynetio, ac alijs fratribus ordinis Prædicatorum, Inquisitoribus hæreticę prauitatis in Lombardia, Salutem, & Apostolicam benedictionem.

**CVM** auctoritate felicis recordationis Innocentij Papę prædecessoris nostri, in Lombardia Inquisitionis officium contra hæreticos fuerit hætenus executi, nos desiderantes tam nocuam pestem prauitatis hæreticę, quę pullulare in illis partibus consuevit, cum omni sollicitudine extirpare: discretioni vestrę per Apostolica scripta mandamus, quatenus secundum Deo vobis datam prudentiam, auctoritate nostra, in eiusdem Inquisitionis officio procedatis, iuxta ipsius prædecessoris directarum continentiam litterarum. Statutis contra hæreticos editis, quę idem prædecessor in capitularibus ciuitatum, & locorum Italiae annotanda, & seruanda mandauit: ac litteris ecclesiarum præfatis, & alijs Lombardis, super negotio ipso directis, in suo robore duraturis. Datum Neapoli vi. Calen. Maij, Pontificatus nostri Anno primo.

Edita anno Domini 1255.

Ex Archiuiu Inquisit. Bononiensis.

ALEXANDER III.

*Ampliat & declarat nonnulla capita constitutionum Innocentij iij. contenta in bulla. Ad extirpanda.*

**ALEXANDER** Episcopus seruus seruorum Dei, dilectis filiis fratribus ordinis Prædicatorum, Inquisitoribus hæreticorum, in prouincia Lombardia, Salutem & Apostolicam benedictionem.

**CVM** secundum tenorem constitutionum felicis recordationis Innocentij Papę prædecessoris nostri, quas in capitularibus ciuitatum, & locorum Italiae annotari mandauit, contineatur, quod quilibet potestas seu rector cuiuscunque ciuitatis seu loci, infra tertium diem post introitum regiminis sui, duodecim viros probos & catholicos, & duos notarios, & duos seruitores, vel quotquot fuerint necessarii instituire teneatur, quos diæcesanus si præsens extiterit, & interesse voluerit, & duo fratres Prædicatores, & duo Minores, ad hoc à suis Prioribus, si conuētus ibi fuerint eorundem ordinis deputati, duxerint eligendos, per quos inquirantur hæretici, & etiam capiuntur: Teneatur insuper idem potestas, vel rector infra decem dies sui regiminis, syndicare præcedentem proximo potestatem, vel rectorem, & eius etiam assessores per tres viros catholicos, & fideles, electos ad hoc per diæcesanum si fuerit præsens, & per fratres prædicatores, & minores, de omnibus, quę in constitutionibus præfatis, & legibus, quę contra hære-

Edita anno Domini 1255.

Ex Directorio Sabellano fol. 694.